

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.



1724.

1. Inskult, Johannes Casparus : Dissertationis inaug. medicae,
de febre casum variorem febrem quartanalem duplicem
cum hemicrania feliciter curatae
2. ^{art.} Beckius, Joh. Antreas : De capris victimis
3. Vintimus, Georgius Fridericus : De transitu hypothecae
sanctae in bonis tutoris et haeredes pupilli
4. Fexterus, Jo. Georgius : De cere juris oratio.
5. ^{art.} ~~Hildbrandt~~, Haerens : De jure civium originarium
Vom Recht derer Einwohnere der Stadt Eyrzbothen.
6. Hildbrandt, Haerens : De legitimo praedictorum specto
Von Winkels - Reine oder Ranges. Recht.
7. Kaeler, Jo. David : De scaltris sive palatib gentium
archaearum vetustissimis
8. Marcus, Guelfrid : De procuratore Caesaris
9. Marcus, Guelfrid : De sedis Sabianorum et
Pventianorum et jure civit.

10. Mel, Franciscus Petrus: Dissertationis inang. medicæ,
nihil saccharo præstantibus
11. Neufville, Joh. Christophorus: De ratificatione uocis
ex facto consensu inducta.
12. Schwarzgins, Christianus Gottlieb: De antiquo numeri
senarii nota sive cony. uor dicta.
13. Selig, Francus Christianus: De mercina conyentaria
recentioris præstantia

rei,
liog
si
ial



[Faint, illegible handwriting on aged paper]

D
E

G

SV
E

IC
—



Q. D. B. V. 1724, 3
DISSERTATIO JURIDICA
DE

TRANSITV
HYPOTHECAE TACITAE
IN BONIS TVTORIS

AD
HAEREDES PVPILLI

QVAM
MAGNIFICI

JCTORVM ORDINIS

INDVLTV

PRÆSIDE

GEORGIO FRIDERICO DEINLINO

PHILOS. ET J. V. D.

*PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT*

RESPONSVRVS AVTOR

ABRAHAMVS MOEHLINVS

RAVENSBVRGO-SVEVVS

AD DIEM XXII. JUN. A. R. S. MDCCXXIV.

ALTORFII NORICORVM

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYER.





DE
TRANSITV
HYPOTHECAE TACITAE
 IN BONIS TVTORIS
 AD HAEREDES PVPILLI.

PRAEFATIO.



*Inter varios istos morbos, quibus Juris-
 prudentia Romano-Germanica quoti-
 die angitur atque afficitur, non imme-
 rito referendi sunt frequentes Et in
 omnibus Juris partibus facile obvii dis-
 sensus Dd. collisionesque sententiarum,
 ex utraque parte a summis sepe viris acriter defensorum.
 Non juvat hac in re, uti in aliis causis, vel ad majora
 vota, numerumque suffragiorum, vel etiam ad respon-
 dentium singularem famam auctoritatemque, controversae
 causa decisionem remittere. Quemadmodum enim opera
 A 2 immen-*

immensa tot tantorumque virorum, qui communes opiniones receptas miro & plane incredibili labore collegerunt (a) impedire non potuerunt, quin alii rursus opiniones communes contra communes pari felicitate & abundantia consarcinarint, (b) ita quoque nulla fama nullaque autoritas Jct tanta unquam fuit, ut alii cordati, vere eruditi & a præjudicio auctoritatis alieni viri, eorum sententiis, ab humanis erroribus sæpe haud immunibus, cœco studio & sine prævio examine subscripserint. Sane, multitudo errantium non facit Jus, & interdum magnus dormitat Homerus. Nostrium institutum nunc non patitur in causas harum frequentium Dissensionum & exinde descendens incertitudinis Præxeos ulterius inquirere; quarum primaria forsan tribuenda erit, partim multitudini Jurium diversorum in Germania vigentium & receptorum, partim improbandæ quorundam Interpretum negligentia & pertinaciæ. Scilicet sæpissime accidit, ut hi, neglectis genuinis artis interpretandi regulis, posthabitisque reliquis subsidiis, vel juri Legibusque sensum male coherentem atque finisrum affingant, vel sensui tantummodo, quem sui auctores, BARTOLVS, BALDVS, ACCVRSIVS, alique, suo modo interdum haud spernendi, dederunt

(a) Huc pertinent Fr. TVRZANVS, VILLALVPVS, JOH. & PIVS FICHARDI, GRIBALDVS, BENED. DE CAPRA, RAIMVNDVS, BONACOSSA, BVRSATVS, CASS. A PVTEO, ROE. A VALLE; ANT. GABRIEL, imprimis VIVIUS in Sylva commun. Opinion. & complures alii, quos adducere non lubet.


(b) Vid. HIERONIM. CAEVALLOS in Spec. aur. opinion. comm. contra commun. Conf. LVDOVICI in Præf. ad Camb. Proceff.

dere, absque proprio iudicio inhereant. Qua de re multi eruditi viri publicis in scriptis sunt conquesti; (c) nec facile quis hanc veritatem in dubium vocabit, nisi præjudiciorum, vanarumque scientiarum studiosissimus, & quem tot innumera, quæ prostant, exempla taliusmodi disputationum penitus fugiunt. Id sanè nobis ad scopum proximius accessuris fatendum est, Doctrinam de Pignoribus & Hypothecis, spectatim tacitis, egregium suppeditare assertorum nostrorum exemplum. Adeo referta illa est diversis Interpretum, & auctoritate & iudicio sæpe clarissimorum Sententiis ac Dissensionibus ut Augiæ stabulum purgare susciperet, qui in illis omnibus ac singulis vel examinandis vel etiam conciliandis desudare vellet. Neque etiam omnes equalis ponderis & utilitatis sunt. Sæpe de lana caprina disceptatur, & interdum ex nibilo nascitur historia. Inter illas vero diuinae materiae controversas, quæ & accuratiorem disquisitionem illustrationemque mereri, & neque utilitate neque iucunditate destitui videntur, non ultima, nostro quidem iudicio, hæc est, quæ de hypothecæ tacitæ in bonis tutoris ad hæredes pupilli transitu agit, quamque studiorum nostrorum rationem reddituri, proposuimus tractandam. DEVS faueat benignissime nostris conatibus! Tu vero B. L. prudenter, & si forsan causam inuenies, indulgenter iudica.

A 3

§. I. Quam-

- (c) Conf. HOTTOMANNVS in suo JCro. BETER in præfation. Pof. ad 7. præmis. LVDOVICI in cit. præf. omnium vero maxime CONRADVS SINCERVS, vel potius KVLPIVS in Dissert. Epistolic. in princ.



§. I.

Origo fiducia,
Pignoris, Hypo-
thecæ; Diffe-
rentiæ; Defini-
tio.

Quamvis rubrum hujus dissertationis vix ulla vel verborum vel sensus obscuritate laborat, adeo, ut statim cuivis intuitu propositi ratio apparere possit, non tamen prorsus abs re esse arbitramur, si brevissimis insigniorum vocabulorum notiones evolamus, viamque nobis pandamus ad ipsius rei faciliorem tractationem. Occurrit primum *hypotheca* vox, cujus e græcis derivationi *πυξή τὸ ὑποθήκειν* a *supponendo* apud quosvis facile obviæ non diu inhæreamus, sed potius videamus quæ sint hujus vocis in jurisprudentia nostra natales. Et invenimus, si SALMASIO, (a) OISELIO, (b) aliisque viris in antiquitatibus juris explicandis peritissimis credere licet, vix *hypotheca*, magisque vel *fiducia* vel *pignoris* vocabulo veteres JCtos usos fuisse. Scilicet constituebatur apud veteres Romanos pignus vel solemnī mancipationis per æs & libram ritu cum *fiducia* remancipationis, vel simplici traditione *de pugno in pugnū* L. 238. §. 2. de V.S.; hæc constitutio quia nonnisi in rebus mobilibus de manu in manum dabilibus obtinebat, *pignus*; illa vero quia maxime immobilibus conveniebat, *fiducia* appellata. TRIBONIANI interim ingenium, ad veterum loca emendanda vel potius interpolanda, primum heic mirari lice-

(a) de mod. usurar. cap. 14. (b) in not. ad CAJ. Inst. L. 1. Tit. 8. omnium maxime vero conferantur hac de re IACOBVS GO-
THOFREDVS ad L. unic. Cod. Theodosian. de Commis-
sion. NOODT in observ. L. VI. c. 7. & 8. SCHVLTING.
ad JVL. PAVL. recepr. Sent. L. II. tit. 13. pag. Jurisprudenc.
Antejustin. 282. seqq.

licebit, cujus opera factum, ut de hoc significato, olim tam celebri, & cujus mentio ad minimum fieri debuisset, in toto Juris Corpore ne vola vel vestigium inveniatur, substituto ubique *hypotheca* vocabulo, (quasi quod res per inductionem in possessionem creditori *supponatur*) & stabilita eo firmius distinctione inter pignus & hypothecam. Interim nec ipsa distinctio diu subsistere salva potuit, postquam prætoris auctoritate nuda conventionione pignus constitui cœperat *L. 1. pr. D. de Pignorat. Action.* Et quemadmodum usus artium facile ab Etymologia deflectit ita & hic fere factum, ut mox *pignus* vocetur, *cujus possessio tradita creditori, hypotheca vero si illa debitori relicta.* *L. 9. §. 2. D. eod. §. 7. Inst. de Actionib.* Ita rem explicant FRANZKIVS, (c) BEYERVS, (d) HVBERVS, (e) aliique. Ceterum quod Legibus Romanis & omnibus interpretibus in genere permissum est, scilicet pignoris & hypothecæ vocabulis, absque omni metu confundendæ doctrinæ, conf. *cum cit. L. 1. D. de Pign. Act. L. 26. π. eod. L. 4. π. de Pign. & Hyp. L. 17. §. 2. π. de Pactis.* it. quæ ibi notat GODOFR. promiscue uti, quod fieri imprimis observamus in *L. 17. §. 2. π. de Pactis jam citat. §. 7. Inst. de Action. §. fin. Inst. quibus mod. re contrah. obl. L. 5. §. 1. D. de Pign. & Hypoth.* (f) illud nobis heic loci vitio verti non posse speramus, qui cum HVBERO (g) & LAVTERBACHIO (h) superata omni difficultate differentiæ, Pignus sive hypothecam definimus, quod sit *Jus in re*

(c) Comment. ad §. ult. Inst. quibus modis re contrah. obl. n. 3. seqq.

(d) Posit. ad w. tit. de Pign. & Hypoth.

(e) in Præl. ad w. eod. tit.

(f) Vid. tamen GODOFR. in not. ad h. l. & ad rubr. tit. lit. e.

(g) Præl. Tit. Dig. de Pign. & Hyp. §. 1.

(h) Comp. eod. tit. pr.

re creditorī in securitatem debiti constitutum; five Res obligata creditorī in ejus securitatem.

Divisio hypothecæ in publicam & privatam, legalem & conventionalem, expressam atque tacitam.

§. II.

Hoc pignus five hypotheca variis modis in Jure nostro dividi solet, neminem fugit; ex quibus tamen divisionibus, in omnibus Systematibus ac Compendiis Juris satis superque decantatis & obviis, illam tantum tangamus, cujus membrum in nostro rubro expressum & quam brevibus explicasse, nec nos poenitere posse, nec forsan lectoribus ingratum fore existimamus. Nimirum inter alia, hypotheca dispescitur Jure Romano, *in publicam & privatam*; Publica aut Lege vel Senatus Consulto constituitur; aut a Magistratu in specie a Jure honorario; & ita intelligendus est textus jam sæpius citat. *L. 17. §. 2. π. de Pactis: Privata* quæ recte etiam *conventionalis* dicitur, constitutionem a privatis mediante conventionem factam supponit. Omnis autem conventio vel *expresse* interponitur, vel *tacite*, i. e. ex consensu partium tacito, qui ex factis circumstantiisque elicitur. His igitur suppositis facile patet, Jure Romano veteri hypothecam legalem & tacitam neutiquam synonymice acceptas, sed sibi invicem certo modo tanquam species oppositas suisse. Testatur hoc partim communis in Jurisprudentia Romana loquendi ratio, ubi *tacitum* semper & ubique fere *opponitur expresse* *L. 2. & 4. pr. D. de Pact. L. 18. D. Mandati*, partim ipsæ leges *in Tit. Dig. In quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contr.* id manifeste indicant, ubi frequentissime adjiciuntur *tacitæ hypothecæ* speciebus, verba hæc: *quasi tacite ita convenerit, tacita conventionem, tacite, ac si specialiter ita convenerit* &c.

Imo

Imo rubrum seu inscriptio istius tituli, omnibus jam explicat, quæ ibi contineantur, scilicet species Hypothecarum, quæ in contra&ibus, *licet non expresse, tacite tamen stabilitæ & contentæ* intelligantur. Verum enim vero tota rerum facies hodiernum mutata apparet, ubi hypotheca tacita & legalis *pro Synonimis* & accipiuntur & definiuntur, per hypothecas *expresse* Legis dispositione inductas, *nulla concurrente neque expressa, neque tacita hominum conventionione (a)* Quæ mutatio originem traxisse videtur ex egregia Philosophia in Jure Codicis, imprimis in Legibus Justinianeis contenta: ibi enim novæ hypothecarum tacitarum species prioribus additæ, in quibus *non ad facta & conventiones tacitas partium, sed ad solam legis dispositionem* respiciendum, L. 20. C. de administr. tutor. L. 1. C. Comm. de Legat. L. un. C. de R. U. A. cum rectius *legales* appellari debuissent. Recte hinc THOMASIVS aliique (b) notatis generalibus tacitæ hypothecæ requisitis, monstrarunt, in quantum discrepet hæc definitio a genuino vocis & sensu & usu, imprimis cum Legis sive scriptæ sive non scriptæ tacitam hypothecam introducens dispositio debeat esse *expresse*, adeoque & hypotheca ex legis dispositione oriens neutiquam *tacita* dici queat. Nec juvat obijcere, tacitum hic non dici intuitu Legis, sed eorum, quibus conceditur, vel in quorum bonis con-

B

stitui-

(a) Vid. NEGVSAIVM in Comm. de Hypoth. & Pign. Membr. I. STRYCK. Us. Mod. Tit. de tac. Hypoth. §. 4. CARPZOV. P. II. c. 34. def. 13.

(b) In Jurispr. Div. L. 2. c. 7. §. 18. seqq. MORGENSTERN in Diff. inaugural. sub Præf. THOMAS. hab. de Hypoth. tacit. propter pec. Iustit. FRANCISCVS BALDVINVS in Tr. de pign. & hypoth. qui ideo duo distincta capita fecit, sextum de tacito & septimum de legitimo Pignore.

stituitur; obstat n. supra allata in LL. Dig. fundata, & a Dd. celeberrimis (c) agnita hypothecarum divisio, quæ non patitur ut *tacita hypotheca tanquam species privata* confundatur cum *Legalis*, quæ sine dubio est *publica*. Cæterum non ignoramus, ab Interpretibus, partim ut causæ non optimæ speciem aliquam prætendant, partim confusionis exinde metuendæ difficultates aliquo modo superent, inventam fuisse novam, & certe Jure antiquo Romano incognitam hypothecæ tacitæ distinctionem *in legalem & conventionalem*. Qua in re, an scopus feliciter sit obtentus, videant alii; nobis hæc notasse sufficit. Interim ullus scrupulus non hæret, tot tantisque viris præeuntibus, hypothecam tacitam in sensu isto generaliter recepto, accipere pro ea, *quæ tacente omnî Conventione, ex sola Legis dispositione oritur.*

§. III.

Hypotheca
tacita competit
pupillis in bonis
tutorum.

Hypothecam hanc tacitam competere Pupillis in bonis Tutorum, eorumque qui pro tutoribus se gerunt, omnî caret dubio, unoque ore ab Interpretibus asseritur; In eo vero admodum frequenter a se invicem idem dissentiunt, utrum origo constituta hujus hypothecæ in Pandectarum libris, an vero in Legibus Codicis, & in qua præcipue ejus Lege, sit querenda? Quæ quæstio licet historica magis esse videatur, ad consequentias tamen juris quoque pertinet, uti recte censet & probat HVBERS, (a) adeoque à nobis sicco quasi pede minime prætereunda. Inter illos, qui in veteri, hoc est, Digestorum

(c) Vid. HVB. Præl. ad Tit. Dig. in quibus caus. pignus tac. contr.

§. 1.

(a) l. c. §. 4.

rum jure hujus hypotheca tacita originem inveniri posse sibi Eius origo,
 persuadent, imprimis eminent GOTHOFREDVS (b) an in Digesto-
 & BALDVINVS (c) Uterque provocat ad Leg. ultim. rum libris qua-
 D. In quib. caus. pign. &c. cujus verba hæc sunt : randa GOTHO-
 Tutoris hæres cum hærede pupilli transactione FREDI & BAL-
 facta, cum ex ea majorem partem solvisset, in re- DVINI Senten-
 fiduam quantitatem pignus obligavit, quæsitum tia.
 est, an in veterem contractum jure res obligata esset?
 Respondit SCAEVOLA secundum ea quæ propo-
 nerentur, obligatam esse. GOTHOFREDVS igitur
 verba: in veterem contractum jure res obligata: ita inter-
 pretatur, quasi per istum contractum denotetur taci-
 ta conventio de Pupillorum in bonis Tutorum hy-
 potheca; Et BALDVINVS SCAEVOLAE responsum
 explicat his verbis: SCAEVOLA significat, inquit, ali-
 quod tacitum prius fuisse, illudque durare sicuti & veterem
 obligationem tutela. Nihil transactione nova peremptum
 esse quia nondum impleta sit - - Utilius itaque esse sentit
 veterem obligationem cum veteri sua hypotheca retinere.
 Satis speciosæ quidem hæc sunt rationes, hoc tamen
 adhuc premuntur dubio, quod non satis clarum Quæ refutatur.
 sit, annon (respondemus hic maxime GOTHO-
 FREDO) per contractum potius intelligendus sit tacitus
 inter Tutorem & Pupillum contractus. Si hoc, uti equi-
 dem videtur, & BALDVINVS non prorsus negat,
 petitio principii committitur, si, in isto contractu,
 simul intelligatur tacita hypotheca, hoc enim adhuc
 in quæstione est & ex aliis n. textibus probandum;
 Quod GOTHOFREDVS non facit, cum statim ad
 L. 20. C. de Adm. Tutor. & alias Leges Codicis pro-
 vocat; neque BALDVINVS, qui (quasi unum ex
 altero

B 2

(b) ad L. cit. ult. (c) in Tr. cit. c. 7.

altero jam flueret) *veterem obligationem cum veteri sua hypotheca* secure conjungit. Ut taceamus dubia, quæ ex genuina significatione tacitæ hypothecæ in Jure Digestorum observata, & a nobis præcedenti §. explicata, GOTHOFREDI vero & BALDVINI maxime obitant rationibus, quibus tamen diutius inhæ-
 rere nunc non licet. Ab his duobus interpretibus eorumque sententiis recedunt juxta alios, WISSEN-
 BACHIVS, (d) & qui illum sequitur THOMASIVS. (e) Hi, si non antiquis temporibus, ad minimum tamen *ante tempora Constantini hanc tacitam hypothecam pupillis concessam fuisse*, sibi persuadent. Provocant maxime ad sensum & conceptionem verbalem Textus alias cardinalis, qui est L. 20. C. de Adm. Tut. Exinde, imprimis vero ex Phrasi; *minime prohibentur*, patere existimant, Imperatorem Constantinum loqui ibi de *jure pupillis jam antea competente*, magisque esse confirmationem privilegii jam antea dati, quam noviter concessi; præprimis cum certum sit, veteres Imperatores hoc quoque semper egisse, ut pupillis quam optime prospectum sit arg. L. 2. §. 2. D. qui pet. tut. Denique in auxilium quoque vocant, L. un. C. Rem. al. gerent. quæ est SEVERI & ANTON. qui ibi rescripsere, quod Tutor vel curator rem *cum sua causa* possit alienare; phrasin vero *cum sua causa*, interpretantur, sine formidine oppositi, de *hypotheca tacita pro administratione*. Verum enim vero hujus Sententiæ rationes vix ita sunt comparatæ, ut nullum prorsus supersit dubium. Sane, *minime prohibentur*

WISSENBA-
 CHII & THO-
 MASII Senten-
 tia.

Eui dubia mo-
 veatur.

(d) Disp. ad Dig. § 1. Part. 1. th. 11.

(e) In Scholiis & novis Additionib. ad Hub. Præl. §. 4. Tit. jam
 lapsius citat.

tur & tota verba L. 20. antiquiorem constitutionem non produunt; quadrant ista tam ad novas, quam re- petitas dispositiones: generale vero Præceptum ex L. 2. §. 2. D. qui pet. Tut. non valet ad probandum jus specialissimum h. e. tacitæ hypothecæ, quæ le- gem desiderat, & sine qua hypotheca jura jani lau- dabiliter prospexere Pupillis. Nec juvat denique alle- gare L. un. C. rem al. ger. verbaque cum sua causa pro hypotheca tacita speciatim interpretari; nam expressa magis hypotheca ibi posset subintelligi quam tacita; & cui ignotum est, locutionem hanc: cum sua causa alienare; cum omni causa restituere &c. frequentius in Jure Romano ad fructus aliasque accessiones, imo interdum ad Servitutes & quicquid rei cohæret &c. referri? quod innumerabiles testantur textus v. g. L. 17. & 20. D. d. R. V. L. 31. D. de Reb. Cred. L. 5. D. §. Usufr. petatur. L. 8. §. 6. D. de Precario. L. 67. D. de Contrah. Empt. L. 23. D. de S. P. R. L. 12. §. 2. D. fam. ercisc. L. 17. D. ad ScT. Treb. L. 6. C. de acquir. & retinend. poss. (f) In tanta igitur rerum ambigui- tate consultius duximus, hypothesin amplecti ANTON.

FABRI (g) VLRI CI HVBERI (h) aliorumque, qui hu- jus hypothecæ tacitæ originem, absque ulla difficili inquisitione, directo ex jam sæpe laudata & rotunde asserente Constantini L. 20. C. de adm. Tut. derivant, quorum ratio, sc. talem hypothecam tacitam Justini- aneam præcisè non esse asserendam, nisi quæ in ver-

Probatur Sen-
tentia FABRI
& HVBERI.

B 3

(f) Conf. BRISSON. de Verb. Signif. voc. Causa.

(g) In Jurisprud. Papinian. Tit. de Tut. pr. 3. illat. 10.

(h) In Præl. c. t. §. 4. cujus Sententiam THOMASIVS absque ratione dixit inventum BALDVINI, contrarium, ut supra ostensum, defendentis.

verbis alicujus Legis ejusdemque indubitata ratione sit expressa, nobis hoc in casu sufficit.

§. IV.

Transitus ad
argumentum
Dissertationis,
an hypothea
tacita transeat
ad heredes Pu-
pilli?

Hæc cum ita sint, & fundamento nitantur satis firmo, remotisque omnibus quæ argumentum nostrum obscurum reddere possent impedimentis, ad ipsam rem progredimur, disquisituri, *utrum hæc, de qua locuti hætenus sumus, hypothea tacita, pupillis legitime competente & asserta, ad eorum quoque heredes transeat, nec ne?* Difficilis sane, nec a Doctoribus unanimi ratione resoluta quæstio: uti mox sumus demonstraturi. Et ut ordine procedamus, constituimus, primo quæ nostra sit hac in re sententia distincte exponere, deinde quos habemus consentientes allegare, denique eos, qui vel parum solidis rationibus causam in se bonam male defenderunt assentientes, vel contrariam prorsus amplexi sunt opinionem, subjungere. Quod igitur quæstionem attinet, si ea uno quasi intuitu consideratur, vix aliam quam negativam postulare videtur decisionem; Ob generalem istam in hac materia ab omnibus pene Dd. receptam, & quavis occasione inculcari solitam regulam, scilicet: *lege non cantante, nec nos contare debere; & ultra casus in Legibus expressos non esse extendendam tacitam hypotheam.* At expressam legis Justinianæ dispositionem hac in re nullibi extare, certo certius est, & fatentur omnes, etiam ii, qui in perlustrandis, perscrutandisque legibus fuere diligentissimi. Verum non erubescimus dicere, regulam istam, quæ hodie omnes & interdum satis infeliciter metiri solent hypotheas, inventum esse Doctorum, legibus-
que

Videtur neganda quæstio, ob regulam generalem.

Quæ tamen est Doctorum inventum.

que recte non tribui. Nulla profecto adest lex quæ eam expresse contineat, & textus quos adducere solent Interpretes, v. cit. L. 1. *Comm. de Legat. L. 11. C. de R. V. A. L. 6. in fin. C. de bonis, quæ lib. &c.* nihil amplius probant, quam quod in casibus ibi expressis per legem inducta sit hypotheca, quod indicant verba: *in presenti casu, in hoc casu &c.* altumque præterea est silentium de regula quadam generali. Imo, quod maxime mirandum, causamque non leviter vulnerat, ipsos Dd. pro tacitis suis hypothecis firmandis in autoritatibus solummodo interpretum subsistere, ubique videmus. Sic LAVTERBACHIVS (a) ad BACHOVIVM, ad CARPZOVIVM, hic (b) ad venerabile glossæ nomen provocat, STRYKIVS (c) ad MOLLEVRVM, MERLINVM, aliosque; (d) quibus omnibus non opus fuisset, si regula ita comparata esset, ut ipsi tuto fidere potuissent. (e) Qualis vero exinde nata sit confusio, in aprico est. Hinc ex una parte videbis Doctores, qui, deficiente textu Juris, casum in terminis, ut loqui amant, terminantibus non continente, neutiquam hypothecam tacitam locum habere posse, strenue asserunt: (f) qui legis rationes respiciunt (g), qui præjudicia, omnemque usum forenses excludunt (h). Ex altera parte rursus alii sur-

Ansam dedit
confusioni.

(a) in Colleg. Pr. ad Tit. Quibus ex caus. §. 4.

(b) P. 1. c. 28. d. 118. n. 4.

(c) Uf. Mod. cit. D. tit. §. 4.

(d) adde BERG. in El. Disp. forens. T. 1. observ. 1.

(e) Conf. omnino, quæ de hac re erudite disserit supra laud. MORGENSTERN. in cit. diss. p. 4.

(f) F. C. HARPRECHT in Trutina XX. pignorum tacit. STRYCK. c. 1. §. 8. qui sponse in dote prænumerata denegat hypoth. tac.

(g) Conf. HVB. c. 1. §. 8.

(h) BERGER c. 1. p. 1760.

gunt, admodum liberales in concedendis hypothecis tacitis, quarum tamen in toto Juris Corpore non fit mentio. Ab his igitur Viris hypothecas suas tacitas derivant ii, qui furtum passi sunt in bonis furis, (i) qui juramento contractum sibi confirmari curavit (k); Collegia opificum, Clerici, Ludimagistri, Advocati, Procuratores, Doctores atque Professores, (l) alique plures quos coacervatos apud HARPRECTIVM (m) deprehendere licet.

§. V.

Respicendum
ad genuinum
LL. tenorem
& interpreta-
tionem.

Ceterum in tanta rerum perturbatione & ambiguitate nihilominus fatendum, hypothecas tacitas, quæ jus singulare constituunt, & propter singularem favorem introductæ, nec facile quidem trahendas esse ad consequentias L. 14. D. de LL. nec tamen ita strictim ad verba Legis & quidem Justinianæ alligatas esse, ut nec genuinæ ipsius Legis interpretationi, nec consuetudini, nec statutariæ dispositioni ullus supersit locus, uti eleganter monstrat STRYCKIVS (a) Et quod speciatim Legis interpretationem attinet, cum semper rationi tanquam animæ inhæreat, neutiquam illam esse rejiciendam in hac materia de hypothecarum tacitarum speciebus constituendis, afferendis, vel restringendis, ipsorum veterum Jctorum exemplum nos docet. vid. L. 1. D. Q. ex caus. &c. Adeoque & nobis illorum

(i) CARPZOV. P. IV. c. 39. def. ult. not. ab alleg. BERGERO & STRYCK. §. 7. seqq. BRVNEM. de Proc. Concurf. Credit. c. 4. §. 52.

(k) SERAPH. de SERAPH. de Privileg. Jur. & BENCKENDORFF in notis.

(l) Conf. cit. STRYCK. c. 1. §. 17. SCHILTER. Exerc. XXXIII. §. 28.

(m) in tot. cit. Dissert.

(a) in Uf. Mod. cit. tit. §. 5.

rum vestigiis inhæsituris inquirere licebit, annon in quæstione propofita, transitum hypothecæ tacitæ ad hæredes pupilli concernente, tot nos affulgeant legum rationes, ut *affirmativam* secure amplecti queamus. Omnis autem res eo redit, utrum talis tacita hypotheca *persona magis data censeatur, an causæ potius?* Nam, si *posterius* evinci potest, directa firmaque conclusione deinde argumentamur, *ad hæredes quoque idem jus extendi & posse & debere.* Istud vero probare, adeo difficile non est. Quemadmodum enim jura Justin. dum de tacitis hypothecis agunt, *nunquam fere ad personas respexere, sed ad totam ubique causam,* ita & in hac nostra tacita hypotheca pupillari generaliter præsupponere licet, non adesse hic casum exceptum, sed ipsi eandem inesse naturam. Egregie nobis hac in re succurrit *L. un. §. 1. C. de R. V. A.* Cujus verba initialia, omne punctum nostræ sententiæ constituentia, ita se habent: *Et ut plenius dotibus subveniatur, quemadmodum in administratione pupillariorum rerum & in aliis multis juris articulis tacitas hypothecas inesse accipimus; Ita &c.* JUSTINIANVS, qui hic de introductis hypothecis tacitis diserte loquitur, ac specificè quasdam exprimit, non dicit, *uxori, pupillis, aliisque personis* ista jura concessa fuisse, sed *dotibus, pupillaribus rebus &c.* uno verbo: *Causæ.* Præterea non sine ratione id quoque factum fuisse videtur, quando Imperator *dotis causam* hic conjungit, cum *causâ rerum pupillariorum;* quemadmodum enim hæredes uxoris, vi constitutæ in bonis mariti tacitæ hypothecæ, bona defunctæ eandemque causam, h. e. jus tacitæ hypothecæ acquirunt, quod nemo unquam hætenus in dubium vocavit; Ita fane hæredes pupilli, pupillares res non

C

Et, hoc præsupposito, affirmanda quæstio.

Argumentum I. quia Causæ, non personæ, tacita hæc hypotheca concessa.

Explic. L. un. §. 1. C. de R. V. A.

possunt non *cum sua causa*, quæ illis inest, h. e. *tacite hypothecæ* jure sibi vindicare. Accedit, quod Imperatores in suis hac de re constitutionibus, semper toti in eo fuerint, ut is qui in veteri jure parcus concessus fuerat favor, latius extendatur, vel, sicuti Justinianus citato in textu loquitur, *ut plenius subveniatur*. Quod si igitur nil nisi personalissimum, ad hæredes non transmissibile privilegium, vel praelationis jus in *L. Cardinali & sæpe allegata. 20. C. de Adm. Tut.* aliisque textibus pupillis datum fuisset, nihil sane singulare constituiissent Imperatores, cum jam veteri Digestorum jure hac in causa pupillis prospectum fuerit; qua de re mox plura dicendi se offeret occasio.

§. VI.

Idem Argumentum: quia Securitas pupillorum & vitæ eorundem necessario postulat tacitæ hujus Hypothecæ ad hæredes transitum.

Jam satis firma igitur stat sententia nostra scilicet ad hæredes pupilli transire quoque cum ejus bonis tacitam hypothecam istam in bonis tutoris, qua ipse, si vixisset, secure gaudere potuisset, quia hypotheca tacita non *persona* datur, sed *causæ*. Verum, cum unita vis fortior sit, idcirco aliud adhuc argumentum antecedenti jungamus, quo causæ nostræ forsitan non leve additur robur. Scilicet inter alias vere serias dispositiones, quibus Romana Jurisprudentia privatorum externæ securitati saluberrime prospexit, ac per quas effrenes alieni cupiditates cohibere studuit, maximæ conspicuæ sunt istæ, quæ hæredipetis, quibus Romana Respublica mirifice abundabat, obicem eo modo posuere, quo opus fuisse ad avertendas ab innocentibus insidias credidere sapientes, suorumque civium genia haud ignorantes Legislatores. Non indiget hoc assertum longa probatione, cum vel
sola

fola prohibitio pactorum de futura successione sufficiens praebeat argumentum. *L. 61. D. de V. O. L. 34. C. de Transact. L. 4. C. de inutil. stipulat. L. ult. C. de Pact. L. 5. C. de Pact. convent. (a)* Omnium maxime vero curarunt Romani Legislatores, ut cum res pupillorum aliarumque personarum miserabilium, tum maxime ipsi pupilli ratione vitae suae, ab insidiis frequentioribus salvi sint; quod imprimis & inter alia (b) testatur singularis ista cautela in §. 3. *Inst. de Pup. substitut. commendata*, quae testator pater admonetur, substitutionem pupillarem in inferioribus testamenti partibus scribere separatim, eamque consignare, ne vivo filio & adhuc impubere, aperiatur; addita ratione, quia alias filius post obitum patris, facile subiceretur gravi periculo insidiarum, ab eo, qui ex substitutione vel alia ex causa commodum Successionis sperat, structarum. Haec cum ita sint, applicatione ad statum nostrae controversiae facta, facile patet *Legem istam 20. C. de Adm. Tut.* non admittere aliam interpretationem, quam reliquis Juris Justinian. capitibus conformem, h. e. talem, qua simul salutis & vitae pupillorum ab insidiis variis liberandae maxime consulitur. Vix autem consuleretur, si hypotheca taci-

C 2 ta,

- (a) Conf. ad LL. has GOTHOFR. in Not. CVIAC. XVI. obf. 34. THOMAS. in Diss. de injusto jure haeredipet. §. 14. adde loca PERSII Sat. II. v. 12. 13. HORAT. Sermon. II. Sat. V. per tot. JUVENAL. Sat. V. v. 98. MARTIAL. Epigr. VI. 63. VIII. 17.
- (b) unico in casu non videtur bene consuluisse pupillis Decemvirorum prudentia legislatoria, quod in constituendo legitimo tutore, potius Spartanorum Legem, agnatos proximos ad tutelam vocantem civitate donarint, cum SOLOMONIS dispositionem, statui Romano magis conformem, potius sequi debuissent, ita contra HVBER. Digress. III. §. disputat HEINECC. in Antiq. Rom. ad Tit. Inst. de Tut. §. §. 6.

ta, ipsis competens in bonis tutorum, non ad haeredes quoque transfret. Quis enim non videt, hoc cessante transitu, tutores, qui, ob male gesta pupilli negotia, impossibilem rationum redditionem & consequenter promptam ideo in bonis suis, tacita hypotheca obligatis, executionem metuunt, id maxime curaturos esse, ut, e medio sublato pupillo, (loquimur ex Romani Juris principio) coram haeredibus ejus faciliori negotio tutelam administratam defendere, & in casu etiam succumbentiae, vel difficilem, vel, interveniente concursu creditorum inhabiles facti, prorsus nullam satisfactionem praestare possint ac debeant? Quae omnia sine dubio cessant, si tutoribus etiam hac ex parte nulla elabendi via conceditur, non ignorantibus, eodem modo respondendum esse de administratione haeredibus, quo pupillis; eundemque illis competere ad bona sua regressum, qui his competiisset, vi scilicet hypothecae tacitae ad haeredes translatae.

§. VII.

Argumentum hoc alterum, quod modo pro asserenda firmandaque nostra, de Transitu hypothecae tacitae ad haeredes pupilli, sententia adduximus, haecenus quidem, ut verum fateamur, apud nullum Juris interpretem circa eandem controversiam occupatum deprehendimus; Interim vero nobis persuademus, illud in tali causa, ubi deficientibus directis soleque meridiano clarioribus verbis, Lex ex Lege explicanda, & juris articulus ex aliis ejusdem juris articulis est interpretandus, haud parum stringere. Ut vero & ultimum robur sententiae accedat nostrae,

ratio

rationibus iungenda sunt auctoritates. Adfunt profecto, pro eadem, viri, quorum sententias ac præjudicia & scholæ & fora jamdudum cum applausu exceperere; quo imprimis pertinent (a) CARPZOVIUS (b), BRVNNE-MANNVS, (c) & MEVIVS (d) Ille, licet in alio loco (e) contrariæ potius sententiæ addictus, & cum BARTOLO (f) & MATH. COLERO (g) hypothecam tacitam personalissimum privilegium esse statuentibus, facere videatur, adeo, ut MARTINI (h) ipsum sibi met contrarium appellare non dubitaverit; in citatis tamen antea locis ingenue & absque hæsitacione affirmat CARPZOVIUS, recte extendi tacitam hypothecam in bonis Tutorum ad hæredes pupilli, eademque, quod maxime nobis arridet, ratione utitur, scilicet quia causa datur non personæ. *Sola tutela causa inquit, non etiam pupilli persona est, quæ taciti pignoris privilegium meretur; Datur siquidem privilegium hoc causæ, non personæ, & ideo transit in heredem.* Hanc Hypothesin Carpzoavianam ulterius explicat BRVNNE-MANNVS, dum dicit, *competere hoc jus causæ, non personæ; pignus tribui hic rei (h. e. pupillari) & cum persona non extinguit; Gratis dici, leges hæredibus pupillorum hypothecam*

Consentiant nobiscum CARPZO-VIVS.

BRVNNE-MANNVS.

C 3 dene-

- (a) Fortiores recensemus; alias quoque addendi essent BERLICHIVS P. I. Concl. 67. n. 33. GVTIEREZ. de Tutel. P. II. c. 16. n. 19. THOMAS. in Schol. ad HVBER. c. 1. & in not. ad STRAVCH. Diff. XXII. 3. aliiq; complures.
- (b) P. II. c. 24. D. 13. n. 1. 2. & L. 4. Resp. 30. n. 9. 13. & 14.
- (c) ad L. 20. C. de Admin. Tut.
- (d) P. VIII. Dec. 393.
- (e) P. I. c. 24. d. 12. n. 9.
- (f) ad L. 67. §. 4. D. de R. N.
- (g) P. II. decis. 274. seqq.
- (h) In Processu Tit. 45. §. 2. n. 88.

MEVIVS.

denegare &c. MEVIVS denique non solum in citato loco sententiam optime confirmat his verbis: *Hac tacita Hypotheca, quæ pro administrata tutela pupillo per legem data non pupillo tantum sed etiam successoribus ejusdem proficit, multumque distat a Privilegio; unde & ratio diversitatis constat. Privilegium enim Pupillare, ex quo aliis Creditoribus antefertur, personæ datum ad hæredes non transit, sicut communiter de omnibus personalibus juribus sentimus. Tacita autem hypotheca non personæ sed causæ concessa est: Verum etiam novum adhuc & non infirmum supperaddit argumentum (i), ab actione hæredibus pupilli, ad plene consequendas res hæreditarias competente, desumptum; ita sc. ratiocinatur, quod, si hæredibus tali in casu actio tutelæ non denegatur, quod sane expediti juris est, absque dubio sequatur, illis per consequentiam juris, non denegari posse effectus actionis istius, qui etiam ad consequendam tacitam hypothecam, illi adhærentem, conjunctim tendunt; & idem argumentum inter alia quoque mutuatus allegavit MARTINI (k).*

Aliud Argumentum
MEVII.

§. VIII.

Consentiunt & alii, quorum tamen Argumenta ut parum stringentia reprobantur.

Sunt & alii haud exiguæ famæ Dd. qui nobiscum sentiunt, & quos antecedenti §. subungere non omissemus, nisi iis maxime ad comprobendam thesin nostram controversam usi fuissent argumentis, quæ, nostro quidem judicio, in se non satis firmo nituntur fundamento. Et quemadmodum rationes non numero sed pondere æstimandæ, parum

(i) cit. loc. & in Comm. ad Jus Lubec. Lib. 3. lit. I. art. 12. n. 36.
(k) in Process. cit. loc. n. 37.

rum (a) solidæ vero, interdum causæ licet optimæ, magis obfint, quam profint; ita haud abs re esse duximus, hujus farinæ argumenta quædam recensere, & quidnam in iis dubium nobis videatur, brevissimis exponere. Nimirum STRYCKIUS (b) TITIUS (c) PAGENSTECHERVS (d) & MARTINI (e) thesin nostram, quod hypotheca tacita Pupillorum ad hæredes omnino transeat, simpliciter omnino affirmant; ast his potissimum suffulti rationibus: I. quia adest hypotheca tanquam jus reale; jura realia autem ad hæredes sunt transmissibilia II. quia actio quasi Serviana ex hac hypotheca competit, quæ necessario ad hæredes transit per regulam fundamentalem §. I. Inst. de Perp. & tempor. a. 7. Hæc rationes, licet speciosæ, vix tamen firmiter concludunt. Nam quod ad priorem attinet, verum quidem est, quamlibet hypothecam tribuere jus reale, sed istud jus reale considerandum est, ratione subjeçti inhaesionis, vel clarius, ratione bonorum, quæ afficit hypotheca, non vero ratione subjeçti, quod inhaeret, sive cui datum est istud jus. Adeoque illud tantum consequitur, hypotheca quacunq; constituta, affici ab illa debitoris bona, consequenter extincta etiam persona, adhuc ita inhaerere istud jus bonis, ut hæredes quoque ideo teneantur, cur?

- (a) Studio igitur omifimus generalia argumenta, v. g. Hæres succedit in omne jus defuncti &c. quæ tot patiuntur exceptiones, ut sceleta sæpe tantum a regulis superesse credas.
- (b) in Annot. ad Comp. LAVTERB. p. m. 620.
- (c) in Observ. ad Comp. LAVT. 663.
- (d) SICIL. ad LAVT. Comp. Manip. III. p. 405.
- (e) Proc. cis. loc. conf. ipsum LAVTERB. in Erud. Tr. Synopt. ad Tit. Quib. ex caus. pign. tac. contrah. n. 37. & in Disp. de tac. pign. Vol. IV. th. 37.

cur? quia reale est non personale. Neutiquam vero inde evinci potest, etiam ratione creditoris realia jura sua natura transmitti semper ad haeredes. Sane ususfructum tanquam Servitutem inter jura realia referri, omnibus est notum: & tamen is sua natura non est transmissibilis ad haeredes ejus qui utitur fruitur, quamvis rei inhaereat, non personae i. e. proprietario. Deinde, quod alteram concernit rationem, nimirum actionem quasi Servianam ex hac hypotheca competere, ergo eandem ad haeredes transire, illa prorsus est supervacanea, & si recte examinatur, id petit, quod est in principio. Non enim quaeritur, an actio quasi Serviana non transeat ad haeredes, si illis competit tacita hypotheca? quod sane est verissimum. Sed, an illa ipsa hypotheca tacita illis competat? hoc adhuc dubitatur; in hoc adhuc sub Judice lis est. Quod tamen a nobis supra satis probatum fuisse confidimus. Ast nec hoc loco omnino praetereundus est HVBERTVS (f). Hic enim ad Scholion THOMASII respondens, hanc, de transitu hypothecae tacitae pupillariorum, fovet sententiam; affirmandam scilicet quidem esse quaestionem, non tamen simpliciter, sed eo tantum in casu, si causa jam vivo minore sive Pupillo commissa sit. Quae opinio, cum nimiam restrictionem, adeoque prorsus nihil singulare contineat, ita imbecillis, ne dicam inepta est, ut mirandum sit, tantum virum THOMASIO, quem toties tam concinne tam affabre refutavit, nunc tali superficiali responsione occurrere potuisse. Quis enim est, qui unquam dubita-

(f) cit. saepius loc. §. 4. in fin.

verit, omnes actiones, omnesque causas, si jam cum antecessore commissæ sint, transire ad hæredes? Imo ipsæ quæ ad meram tendunt vindictam, adeoque alias non sunt ad hæredes transitoria, qualis est injuriarum actio, nihilominus causa commissæ h. e. lite jam contestata, transeunt. *L. 1. §. 1. D. de priv. delict. L. 32. D. ad L. falcid. L. 13. pr. L. 15. §. 14. L. 28. D. de Injuriis. (g)*

§. IX.

Sed properandum est ad *Dissentientes*; supra enim retulimus materiam hanc inter vexatas juris quæstiones. Haud exiguus se offert numerus; sed omnes omnino ad conficiendum quasi catalogum sollicite exquirere, & recensere, vix operæ pretium esse putavimus. Sufficiat nobis, post ANTONIVM a MARA (a) ZIEGLERVM, (b) COLERVM (c) & FRANZKIVM, (d) unicum nominasse RICHTERVM (e) Jctum satis celebrem, & qui in hac re reliquos omnes facile complectitur. Fundat hic dissentium suum in variis textibus, imprimis in *L. 42. D. de Adm. & Peric. Tutor. L. 19. §. 1. D. de Reb. aut. jud. L. 67. §. 5. D. de R. N. & L. ult. D. Quib. ex caus. pign. tac. contrab. ex quibus* textibus duo priores quidem speciem aliquam

Dissentientibus
respondetur
imprimis
RICHTERO.

Textus, quibus
fulciuntur.

D pro-

(g) Conf. LAVTERB. Comp. de O. & A. p. m. 623.
 (a) in Tract. de Concurf. Credit. L. II. T. VI. §. 1. usque ad 10,
 (b) Loc. a MARTINI in Processu citat.
 (c) P. II. Dec. 274.
 (d) ad Tit. D. de Pignor. n. 34.
 (e) in Tract. de Privil. Credit. c. 4. Sect. I. n. 77. & seqq. & n. 8. p. 220.
 Conf. STRAVCH. Diss. XXII. §. 3. qui omnes huc refert
 Jctos Jenens. add. SCHVZ. Comp. LAVTERB. p. 405.

probationis præferunt, posteriores vero imprimis cit. lex ultima, cujus explicationem supra §. III. dedimus, prorsus finistre huc relati videntur. In genere vero ex iisdem evincere studet, *hypothecam tacitam Pupillis concessam, esse privilegium personæ simpliciter datum seu personalissimum, adeoque ad hæredes neutiquam extendendum. Privilegia regulariter personæ non rei data censeri; prætereaque strictissima esse interpretationis; & quæ sunt similes hujus census conclusiones. His objectionibus, licet jam maxime obviam iverit GVTIEREZIVS (f) & ad textum citatos egregie responderit, in compendio tamen & nostras quoque subjungamus dissentienti RICHTERO respon- siones. Nimirum Imo id urgendum, male ex Legibus Digestorum probari consequentiam istam, cujus fundamentum, a Jure antiquo admodum diversum (uti supra §. II. latius demonstratum & inculcatum) in lege aliqua Codicis, jus antiquum certo modo emendante, querendum est. Nullum vero allegavit RICHTERVS textum ex Jure Codicis, qui vel ullo modo ipsius opitularetur sententiæ, ne dicam qui non sit contrarius, quo referimus L. 20. C. de Adm. Tut. junct. Nov. 118. c. 5. in fin. Ideo, & quod maxime attendendum, confundit RICHTERVS cum omnibus qui eum sequuntur & quos ipse sequitur, Privilegium antelationis ante chirographarios, quod Pupillis jure D. competebat, cum hypotheca jure, quod non tam ex persona pupilli, quam ex administratione negotiorum habet pupillus, quodve accepit demum Jure Codicis L. 20. C. de Adm. Tut. Hoc ad hæredes transire & posse & debere*

Responſio Ima.

Responſio IIda.

(f) de Tutelis P. II. c. 16. n. 19.

bere satis supra est ostensum ; illud quia personale magis est , transitorium non videtur ob *l. cit. 19. §. 1. D. de R. A. J. P. & L. 42. D. de A. & P. Tut.* Interim Illio silentio non prætereundum , *regulam* ipsam quam adeo sollicitè pro sua sententia urgent dissidentes ; *Privilegia personis data vel jura singularia ad hæredes non transire* ; jure Digestorum non unam *pati exceptionem* , adeo , ut & interdum exinde sat graves LL. Collisiones oriantur. Ita licet citata *Lex 19. §. 1* privilegium ad pupillum solum , non ad successores pertinere , asserat , nihilominus tamen in *L. 18. in fin. & 19. D. de minor. & L. 6. D. de in integr. Restitut.* restitutio in integrum ad successores quoque transire dicitur (g) Quid igitur impedit , quo minus , etiam ad stipulantibus juris Digestorum textibus , a transitu restitutionis in integrum in hæredes minorum , ad transitum hypothecæ tacitæ in hæredes pupillorum fiat argumentatio ?

Responsio
IIIa.

§. X.

Possemus & quartum addere pro refutandis Dissidentibus argumentum , desumptum a *Facultate illa cedendi* , qua omnes illi gaudent , quibus leges prospexere juribus realibus , quale etiam est jus hypothecæ tacitæ ; quo argumento etiam utitur MARTINI , (a) interpretaturus verba Ordin. Judic. Saxon. *Tit. XLVI. §. 7.* *Es lassen wir auch geschehen* /
D 2 *daß*

Epilogus.

(g) Conf. GOTHOFER. ad cit. LL.

(h) Quod etiam fecit HVBERTVS sæpe cit. loc.

(a) in Process. ad Tit. XXXV. §. 2. n. 90. add. CARPZOV. L. 4. Resp. 33. per tot.

daß ein Glaubiger das Dingliche Recht einem andern cediten möge &c. Nam per se patet illud, quod alteri etiam extraneo, libere cedi potest, non esse personalissimum. Sed, cum haec res sit, quae rursus amplissimam postularet exegetin, quaeve deinde fines praestituti scopi excedere juberet, ideo vela hic contrahimus, & ea, quae olim *Gabriel Naudaeus* Arcanis Status, elegantissimo libello, subjunxit verba, meliori jure, tenui huic opellae excusationis loco annectimus; *Ipse fateor, inquit, hanc rem alias majores requirere vires, eloquentiorem calamum, majorem eruditionem, maturius judicium, & majorem intellectum; Sed paucas possideremus Jovis Statuas, si nulli nisi Phidias tales fabricare esset permissum, & Roma paucas haberet picturas, si soli Michael Angelus & Raphael de Urbino pinxissent.*

F I N I S.



VIRO



V I R O

PLVR. REVERENDO ATQVE AMPLISSIMO
 DN. ADR. SPECHTIO,
 VERBI DIVINI IN S. R. I. LIBERA CIVITATE
 RAVENSPVRGENSI
 MINISTRO VIGILANTISSIMO,

S. P. D.

P R A E S E S.

Indignus prorsus essem, Tuis, VIR PL.
 REV. in me collatis insignibus benefi-
 ciis, si Amicissimum DN. MOEHRLI-
 NVM, familiae Tuae charum pignus,
 absque ulla honoris gratique erga Te ani-
 mi significatione dimitterem. Quotiescun-
 que enim recordor (recordor autem saepis-
 sime) quantam olim in me juvene erudien-
 do perpoliendoque adhibueris industriam,
 fidem atque indulgentiam, toties merito
 divinam providentiam, pupillorum tutri-
 cem, admiror, Tuumque simul nomen sin-
 gulari

D 3

gulari cultu pietateque veneror. Nec ha-
 ctenus absens ullam intermisisti occasionem,
 qua continuati Tui favoris benevolentiae-
 que certissima edere posses testimonia. In-
 ter quae illud praecipue refero, quod ante
 aliquot annos, laudatum DN MOEHR-
 LINVM, Sociumque DN KNOLLIVM,
 Cognatos Tuos, virtutumque Tuarum fe-
 lices aemulos, huc transmittere, meaeque
 fidei committere non dubitaveras; quam in
 me collocatam fiduciam, nunquam non de-
 vota mente suspicio. Ceterum DEVS T.
 O. M. qui omnia benefacta, ex pectore pu-
 ro proficiscentia, largissima semper coelesti-
 que remuneratione beat, TE in Ecclesiae
 Evangelicae purioris solatium, familiae-
 que Tuae splendidae Decus atque Ornamen-
 tum, diu sospitem servet ac incolumem.
 Dab. deproper. calam. Altorfii d. XXII.
 Jun. A. O. R. M DCC XXIV.

Quz

QVæ de pignoribus facunda dis-
feris arte,
Doctrinæ linquent pignora clara
tuæ.

Quos TIBI, vel paucos, juvat hic
appendere, versus
Sincerum nostri pignus amoris
erunt.

Sic
Doctissimo DOMINO RESPONDENTI
plauderat

A. DE WALDTORFF.

Ich will / Mein Freund ! den Wunsch in
wenig Worte fassen ;
Ein langes Lob - Gedicht bleibt allzeit ein
Gedicht /
Darinn viel Eitelkeit sich mehrmahl blicken
lassen /
Das zwar von Munde geht / und doch von
Herzen nicht.

Ich

Ich rühme Deinen Fleiß / ich rühme Deine
 Gaben /
 Ich rühm der Freundschaft Treu / dabey ich
 Dich erkandt;
 Zur Wiederlage solt Du Hand und Herze
 haben /
 Als ein stillschweigendes und sichres
 Unterpfand.

Durch diese wenige Zeilen
 wollte sich
 dem Herrn RESPONDENTI
 bestens recommendiren
 Dessen
 ergebenster Freund
 und Diener

A. G. F. Megapol.
 Oppon.





Altdorf, Diss., 1724



f
sb.





inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

4 14.

Q. D. B. V. 1724,3

DISSERTATIO JURIDICA
DE
TRANSITV
HYPOTHECAE TACITAE
IN BONIS TVTORIS
AD
HAEREDES PVPILLI
QVAM
MAGNIFICI
JCTORVM ORDINIS
INDVLTV
PRÆSIDE
GEORGIO FRIDERICO DEINLINO
PHILOS. ET J. V. D.
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT
RESPONSVRVVS AVTOR
ABRAHAMVS MOEHLINVS
RAVENSBVRGO-SVEVVS
AD DIEM XXII. JVN. A. R. S. MDCCXXIV.

ALTORFII NORICORVM
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

P. 219

